Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



ACTVS

orationi & ministerio uerbi istantes erimus. Et placuit sermo omni multitudini. & elegerunt stephanum plenum fide & spiritu sancto. & philippum. & prochorum. & nicanorem. & timonem. & parmenam. & nicolaum. aduenam antiochenum. Hos statuerunt ante conspectum apostolorum: & orantes imposuerunt eis manus. Et uerbum dei crescebat: & multiplicabatur numerus discipulorum in hierusalem ualde. Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei. Stephanus autem plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de synagoga que appellabatur libertinorum. & cyrenensium. & alexandrinorum. & eorum qui erant a cilicia & asia. disputantes cum stephano: & non poterant resistere sapiente & spiritui qui loquebatur. Tunc subornauerunt uiros qui dicerent se audisse eum dicentem uerba blasphemie in moysen & deum. Commouerunt itaque plebem & seniores populi & scribas. Et concurrentes rapuerunt eum. & adduxerunt in concilium. & statuerunt falsos testes dicentes. Homo iste non cessat loqui uerba blasphemie aduersus locum istum sanctum. & legem. Audiuimus enim eum dicentem. quoniam ihesus nazarenus hic destruet locum istum. & mutabit traditiones quas tradidit nobis moyses. & intuentes eum omnes qui sedebant in concilio. uiderunt faciem eius tanquam faciem angeli. Dixit autem princeps sacerdotum stephano. Si hec ita se habent. Qui autem fratres & patres audite. Deus glorie apparuit patri nostro abraham cum esset in mesopotamia. priusquam moraretur in charran: & dixit ad illum. Exi de terra tua. & de cognatione tua: & ueni in terram quam monstrauero tibi. Tunc exiuit de terra chaldeorum. & habitauit in charran. Et inde postquam mortuus est pater eius transtulit illum in terram istam. in qua nunc habitatis: & non dedit illi hereditatem in ea nec passum pedis. sed promisit illi dare eam in possessionem. & semini eius post ipsum. cum non haberet filium. Locutus est autem ei deus. quia erit semen eius accola in terra aliena. & seruitutem eos subiicient. & male tractabunt eos annis quadringentis. xxx. & gentem cui seruierit iudicabo ego dicit dominus. Et post hec exibunt et seruient michi in loco isto. & dedit illi testamentum circumcisionis: & sic genuit ysaac. & circumcidit eum die octauo. & ysaac iacob. & iacob. xii. patriarchas. Et patriarche emulantes ioseph. uenumdederunt eum in egyptum. & erat dominus cum eo: & eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius. Et dedit ei gratiam & sapientiam in conspectu pharaonis regis egypti: & constituit eum prepositum super egyptum. & super omnem domum eius. Venit autem fames in uniuersam egyptum. & chanaan. & tribulatio magna: & non inuenebant cibos patres nostri. Cum audisset autem iacob esse frumentum in egypto. misit patres nostros primum: & in secundo cognitus est ioseph a fratribus suis. & manifestatum est pharaoni genus eius. Mittens autem ioseph accersiuit iacob patrem suum. & omnem cognationem suam. in animabus. lxxv. & descendit iacob in egyptum: & defunctus est ipse & patres nostri. & translati sunt in sychem. & positi sunt in sepulchro quod emit abraham pretio argenti a filiis emor filii sychem. & Cum autem adpropinquaret tempus repromissionis quam confessus fuerat deus abrahe: creuit populus & multiplicatus est